



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

24. Resolvitur probabiliùs esse fratrem emendatum, secluso periculo relapsus non esse denunciandum Superiori neq[ue] ut Patri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**



ribus dare, ut pro eo oretur. 3. sententia approbat primam in casu cessionis juris: illo excluso, approbat secundam. Ita *Valentia. disp: 3. quest. 10. part: 5. pag. 687. §. respondeo per distinctionem.* Probat primam partem, quia in primo casu cum delinquens emendatus, ipse possit delictum suum Prælato laudabiliter aperire: cur non etiam alius id ipsum poterit de eius consensu? Probat secundam partem, quia excluso jure cessionis possessor est suæ famæ, qua ut dictum ob solam securitatem majorem privari non debet.

24. Verùm nobis probabilius videtur, si certò tibi constat proximum emendatum esse, neq; periculum probabile subesse relabendi, nullo modo posse te cuiusquam delictum deferre ad superiorem, ut securior sit, nisi ipse expressè in talem sui manifestationem consentiat. Neq; consensus in aliqua religione præstitus ad hunc casum extendendus videtur (uti supponit, non autem probat *Valentia*: pro tertia sententia citatus) quia ut benè *Sanchi*: supra pro secunda sententia finis præcipuus, ob quem mandantur delicta præla-



tis deferri, est correctio ipsius delinquentis si ergò frater correctus omninò est & emendatus, neq; periculum recidivi subfit, cessat finis, ob quem consentit, delicta Prælatis deferre. Et confirmo. Si enim ob maiorem securitatem maioremq; humilitatem propriam cessante fine correctionis liceret delicta fratris emendati Prælato deferre, liceret, inquam, non uni sed pluribus Prælatis deferre, ut sic delinquens ampliùs humiliaretur, & securior à relapsu esset, quod certè nullus debet concedere.

25. Dixi nisi proximus periculum habeat relabendi, si præteritus eius lapsus Superiori non manifestetur. Nam stante periculo manifestandus est, ut præservet: quod sentit expressè Valent. *cum D. Thom: Diss: 3. q. 10. p. 5. pag: 687. S. quod si.* Et probat: nam etiam ob huiusmodi finem liceret cuilibet privato, sine cuius ope non reputaretur proximus immunis à relapsu delictum indicare.

26. Probabile periculum relapsus censemus, quando ita proximus occasionebus peccati innodatus est, ut moraliter loquen-